

Statūtum, sī mulier esset fornicāta

Honōrius rēgnāvit, quī statuit prō lēge, quod, sī mulier esset sub virō adulterāta, sine misericordiā dē altō monte praecipitārī dēbēret. Accidit cāsus, quod quaedam mulier sub virō suō erat adulterāta.

Unde secundum lēgem dē monte altō erat praecipitāta; sed dēscendit dē monte tam suāviter, quod in nūllō erat laesa. Ducta est ad iūdicium. Iūdex vidēns, quod mortua nōn esset, dedit fēminam, quod iterum dēbēret praecipitārī et morī.

Ait mulier: "Domine, sī sīc fēcerīs, contrā lēgem agis, quia lēx vult, quod nūllus dēbet bis pūnīrī prō ūnō dēlictō. Ego eram praecipitāta, et deus mē salvāvit mīrāculōsē. Ergō vidētur, quod iterātō nōn dēbeō praecipitārī, nisi contrā lēgem iterātō committerem."

Et sīc salvāta est.